


CANCELL.
MARTIS B.
1718.

X. B. c 100

53.

~~X. B. c 100~~

~~XXVIII. 9. a~~



- i. de Auditoribus vulgo et auditoria inter Regimenter
propria*ta*
- ii. de proxeneticis mercatorum.
- iii. de Privelegiis mulierum. seu de libertatis fac*ci*um i*n*tra gen*e*ra*li*o*n*em.
- iv. de l*ic*te peregrinantium ab*re*g*at*ur*at*io*n*em*is*.
- v. de l*ic*te peregrinantium. ab*re*g*at*ur*at*io*n*em*is*.
- vi. de studiorum Privelegiis ab*re*g*at*ur*at*io*n*em*is*.
- vii. de l*ic*te nobilitatis et verar*at*er*at*io*n*em*is*.
- viii. de l*ic*te vicinitatis. ab*re*g*at*ur*at*io*n*em*is*.
- ix. de l*ic*te Baronum.
- x. de constitutione et iuri*b*us factorum seu institutorum.
factorum*is* *in* fol*io* 10*b*
- xi. de eo quod iustum est circa aurigas. ab*re*g*at*ur*at*io*n*em*is*.
- xii. Equitum Saxoniorum iura singularia.
- xiii. de l*ic*te Pauperum vulgo et pauper*at*io*n*em*is*.
- xiv. de legatis primi ordinis ab*re*g*at*ur*at*io*n*em*is*.
- xv. de l*ic*te catalis.



- XVI. de iure etatis personarum.
- XVII. de probatione paupertatis.
- XVIII. de iure impuberum.
- XIX. de usu practicis distinctionis hominum ingeniorum
et libertinos.
- XX. de iuribus Patrinatorum don Regis Etat Gotthorpi.
- XXI. de iurenum virginum Privilegiis. non finitam. don Regis
- XXII. De his, quæ mulier Saxonica valide circa curatorem
avit.
- XXIII. De infidacimulierum renunciatione.
- XXIV. de sensu sexus muliebris.
- XXV. de iura viduarum clericorum et Professorum
vulgo. Iab. Antillen. Regist. Etat Professorum unde
gescilicet. Leibniz.
- XXVI. de usu practicis distinctionis hominum in
libertos et seruos.

2

DISSE^TRATI^O INAUGURALIS
JURIDICA

PROXENETIS
MERCATORUM,

Quam

Favente Divini Numinis Clementiâ,

Authoritate & Decreto,

Incliti JCtorum Ordinis in Per antiqua

Electorali Gerana

SUB PRÆSIDIO

Viri Pranobilis & Consultissimi

DN. JOANNIS MAT-
THIÆ WINCOP,

Phil. & J. U. D. P. P. Ord. Præfecturæ Electoral. Mo-
gunt. Consulentis & p. t. Facultatis Juridicæ ut
& Collegii Portæ Cœli DECANI

PRO LICENTIA

Summos in utroq. Jure Honores & Privilegia

Doctoralia rite consequendi

publicæ disquisitioni submittit

JOANNES VALENTINUS

LEISNERIUS, Noricus,

In Auditorio JCtorum 12. Junij 1703. horis pomerid. consuetis.

Erfordia, Literis Kindlebianis.



DISSERTATIO INAGENIKAES
LIBER DIOCE

PROXIMI
MERCATORUM

IN IOANNIS IATRICO
THEATRICO

JOANNES VAIKTINUS
PEISNERUS Notae

in VAIKTINUS PEISNERUS Notae
Folio 1 folio 100



I. N. S. S. T.



Roxeneturum usum
maximè necessarium
esse inter omnes, cum
primis vero Mercato-
res in magnis Empori-
is, nemo est, qui dubi-
tat. Ut de aliis nego-
tiis, tam extra mer-
caturam, v. g. causis
matrimonialibus, amicitia Assessura; quam
ipsam Mercaturam concerentibus, quibus
intervenire proxeneta solent, taceamus; quis
enim nescit, horum operam præprimis hoc e-
gentissimo rei argentaria seculo maximè ne-
cessariam lucrosamq; esse in mutuo & cambiis?
dum mercatoribus magnas negotiationes ex-

A 2

ercen-

ercentibus (qua sine eare alieno expediri nequeunt) indagata pecunia fanebri viam ejus impetranda monstrant, ipsos creditores fanebrem pecuniiam habentes, salvorubore, salvag^q, sollicitudine querentium pecuniiam cambio adeunt omnia subtiliter rimantur & indagant, fideliter reticenda re integrā retinent, dissidentes in unam sententiam trahunt, & sedulo omnia exequuntur. Quibus etiam tanta ex munere fides adhibetur a Jctis, cū juscunq^z ex eis dictum juramento vallatur, notulaque in leberculis quibusdam per ipsos compositis plenam inducant probationem circa celebrationem cambiorum eorumque pretia & pacta conventa contra quoscunque recusantes mercatores. Qua cum ita sint, non miraberis BENEVOLE LECTOR, cur hanc materiam in argumentur Disputationis Inauguralis p^{ra} aliis elegerim. Cum enim cuivis facile constare poterat, quam utilis sit quamque scitu necessaria, ego quoq^z posthabitis aliis inutilibus, hanc, qua in ipsis obtinet rerum argumentis, anteponere satius esse

esse credidi. Fateor equidem, majorem
limam hanc requisivisse operam, quam
ego viribus ingenii & arte mea polliceri
possum; interim tamen confido, me pro-
pter etatem à maturitate hujus studii ali-
enam, veniam à quovis facile impetrar-
turum.

f. I.

NE in principio statim
vocabulo Proxenetarum
quis offendatur, pauca
quædam de illo premit-
tenda duximus. Dedu-
ctum autem est à græco
vocabulo ποξενία, quod
significat concilio. Unde ποξενής, qui
est velut conciliator, ac inventor, qua-
sique conglutinator hominum inter se stip-
ulantium & spondentium. Germanicè vo-
cantur, Mäckler/Fürkauffer/ &c. Noriber-
gæ Unterkauffel. Hoc autem vocabulum su-

A3

sumitur tripliciter. (1.) late, ut etiam comprehendat arbitratores l. 21. ff. de usuris. l. 10. ff. s. 7. mand. (2.) stricte, pro iis, qui ab arbitratoribus differunt, ac verò & proprio Proxenatarum officio funguntur. (3.) strictissimè, pro iis, qui circa mercatorum negotia officium suum interponere solent, quæ significatio est hujus loci, secundum quam etiam hoc loco Proxenetam breviter definimus quod sit conciliator inter mercatores contrahentes in negotiis licitis. l. f. ff. de *Proxenes.*

§. 2.

Proxenæ aliter dividuntur ratione causæ efficientis, aliter ratione objecti. Ratione causæ efficientis in eos, qui albo proxenatarum sunt inserti, & à Magistratu approbati, & eos qui autoritate Magistratus non sunt constituti, sed voluntate partium sunt electi, vid. *Ordnung von der Mäcfler Hamburgtypis expressa. A. 1660.* Ratione objecti dividuntur in eos, qui in negotiis extra mer-

mercaturam , & inter eos , qui in negotiis
mercaturam concernentibus interveniunt ,
de quibus posterioribus supra à nobis tradita
definitio est intelligenda.

§. 3.

Hujusmodi autem proxenetae constitui
possunt omnes , qui non impediuntur aut
prohibentur , etiam foeminæ , quia & illæ
mercaturam facere nusquam prohibentur ,
l. 7. S. 1. ff. de Inst. art. l. 32. S. 4. ff. de aur. E^g
arg. leg. Item Judæi , intellige in iis locis , in
quibus ipsis negotiari non est interdictum .
Impediuntur autem pupilli , mente capti &
furiosi , qui ipsis suis rebus non præesse , mul-
to minus proxenetarum munere fungi pos-
sunt , dum id , quod agunt , non intelligunt
S. 8. Inst. de inuril. stipulat. arg. l. 40. ff. de
R. I. Prohibentur nobiles , qui mercaturam
facere ideo prohibentur , ut inter plebejos &
negotiatores facilius sit emendi , venden-
dique commercium . *l. 3. C. de. Comer.*
Milites armatae militiae . *l. un. C. negot. ne*
milit.

milit. l. 12. l. 15. C. de Remilit. l. 12. Item tu-
tores provinciarum. l. 33. ff. de R. C. l. 46. ff. d.
C. E. V. In celebrioribus Emporiis proxene-
ta officium certis tantum personis sub certo
& præscripto modo committi solet, sicut ex
statutis non nullarum civitatum constat;
Quale Anconæ vigere testis est Straccha d.
Proxenet. p. 2, n. 9. In ordinatione proxene-
tarum Hamburgenſi & Lubeccensi quoquè
cautum est, ut proxeneta à Magistratu ſive
Magiftris tribuum ordinetur, juramento &
cautione prælita, ſe omnibus mercatori-
bus bona fide ſatisfacturum, nullis niſi præ-
ſentibus operam navaturum, nec ullo modo
peregrinos aduersus statuta loci conglutina-
turum vid. *Ord. Proxen. Hamburg. Pr.* &
art. 1. item Lubec. d. A. 1607. 28. Aug. art. 8.

J. 4.

Officium horum proxenetarum com-
mune [quod ſcilicet cum omnibus reliquis
proxenetis extra mercaturam commune ha-
bent,] eſt hoc, quod deceat eos eſſe candi-
dos,

dos, sinceros, Justitiae æquitatisque amantes, utriq; parti, cuius negotia tractant, æq; benècupientes Speidel. in *Spec. Var. obseru. voc.* Unterkauffer. Abstineant à mendaciis, sciant observare modum. l. 3. ff. d. *Proxenet. conf. l. 40. ff. d. damn. inf.* Proprium verò eorum officium (quod in Emporiis tantum in usu esse videtur,) aliter quo ad constituendos, & aliter quo ad constitutos considerandum est. Circa constituendos notandum, quod debeant Jurato fidem dare Magistratui de commissis negotiis sine fraude dolore gerendis, ante cuius Juramenti præstationem nemo ferè admittitur ad munus proxeneticum. Juramentum verò ita communiter concipi solet: Ich gelobe und schwöre zu Gott dem Allmächtigen / daß ich in meinem mir anbefohlenem Meister-Dienst/mich getreu und redlich verhalten/ dem Kauffmann nach meinem besten Verstand und Gewissen aufrichtig bedienen/was mir anvertrauet / zu deren besten verrichten/ keine eigene Handlung oder Kauffmanschaft/noch einige Factoreyen vor mich selber

treiben / noch durch andere treiben lassen / und wann ich in denen unter den Partheyen vorfallenden strittigen Sachen befraget werde / daran die lautere Wahrheit und dessen eigene Beschaffenheit ansagen und bekennen / auch in allen mich der von E. E. Hochlobl. Rath jezo und künftig außgesetzten Ordnung allerdings gemäß bezeigen will / bey der darin enthaltenen Straff / so wahr mir Gott helfen soll und sein heiliges Evangelium.

§. §.

Quoad constitutorum, officium in primis sciendum, quod conventiones contrahentiū singulari libro fideliter debeat inscribere, partibusq; id potentibus sine mora exhibere; quod etiam rationi Juris civilis convenit, cum æquum sit mihi edi id, quod mei causa confectum, sicut dicitur in l. 4. ff. d. edendo. & l. f. C. eod. ipsi vero proxente mercaturam exercere prohibeantur, ob summam fraudis suspicionem, cum alias sibi potius quam aliis consulere videantur.

Fieri

Fieri siquidem potest, ut clanculum cum quibusdam mercatoribus societatem inceant mali proxenetae, & celata societate varios & diversos miserios mercatores & societatis ignaros cum sociis suis excogitatis artibus & fraudibus ad contrahendum inducant non sine magno eorum damno; hinc in ejusmodi proxenetas maximam poenam Anconae constitutam fuisse resert Straccha. P. 4. S. f. inf.

§. 6.

Post officium proxenatarum in genere consideratum consequens est, ut etiam dispiciamus de eorum officio in specie circa ipsa negotia mercatorum. Inter quæ utique primarium est mutuum, de quo jam supra aliquid in præfatione, Cui adhuc addendum, quod proxenetae in primis observare debeant, ne temere laudent, aut idoneos affirmant nomen facere cupientes, alias enim, si dolo & calliditate creditorem circumvenient, actione de dolo tenebuntur. l. 2. ff. de

B 2

proxenetae.

proxenet. l. 8. ff. de dolo malo. cum nemini dolus patrocinari debeat. *l. 12. ff. eod.* quin in modo hoc casu eos extra ordinem poena arbitria coercentur, & ab officio removenti posse communiter statuunt D.D. quod etiam expresso ita statutum reperitur in *Ord. Prox. Hamb. art. 9.* Quod de mutuo hic dictum, etiam de aliis contractibus realibus v. g. deposito, pignore & commodato dici potest, cum fere nihil aliud singulare in iis quoad proxenatarum officium occurrat.

¶ 7.

In contractibus verbalibus, sive stipulationibus proxenetas quoque adhiberi posse, recte statuitur, non obstante eo, quod stipulationes inventae sint, ut unusquisque acquirat, quod sua interest. §. 18. de *inutil. stipul.* §. 38. §. 17. de *V.O.* siquidem interventione proxenetae naturam stipulationis [quae est, ut unusquisque sibi acquirat] non potest immutare. Proxeneta enim non stipulatur, sed promovet stipulationem allicitque, ad stipulandum

landum, nec etiam contrahit aut concludit,
sed saltem ministerium ad facilius eontra-
hendum accommodat. Eadem etiam ob-
tinent in contractibus literalibus. Chiro-
grapha enim tam concipi à Proxenitis,
quam ad firmando ea partes contrahentes
nonnunquam induci ipsa experientia testis
est. Unde etiam in foro mercatorum læpi-
us fieti videmus, ut chirographa debitorum
per Proxenetas venalia exponantur idq; vel
tum maximè, cum de fide & fortuna eorum
subdubitatur, aut alias parata pecunia in-
digent.

§. 8.

Quod in contractibus consensualibus
præprimis verò emtionibus proxenetæ quo-
què intervenire, & à contrahentibus rectè
adhiberi possint, omni prorsus caret dubio.
Per eos etenim fit, ut res facilius vendantur,
& æquius emantur. Hinc quemadmodum
illud, quod pluris est, minoris emere, quod
minoris est, pluris vendere, adeoq; in pres-
tio

tio se circumvenire naturaliter licet contra-
hentibus. l. 16. §. 4. ff. *de minor.* l. 22. §. f. Lo-
catio haud aliter permittente contractus
emtionis substantia; dum emtor viliore
comparandi, venditor cariore distrahendi
votum gerentes ad hunc contractum acce-
dunt, vixq; post multas contentiones pau-
latim venditore de eo, quod petierat, de-
trahentes emtore autem huic, quod obtu-
lerat addente ad certum consentiunt preti-
um, sicuti eleganter dicitur in l. 8. *C. de Resc.*
vend. Ita etiam proxeneta à venditore ad-
hibitus rem vendibilem laudare, contra ab
emtore pretium extollere, merciq; satis con-
gruum asserere non prohibetur, dummo-
dò, quodjam supra attigimus, ab omni do-
lo abstineat.

§. 9.

Cum autem alias dolus partiū, qui causam
redit emtioni, venditioni, aut aliij contractui
b. f. illum ipso jure nullum reddat. l. 7. *C. de*
dolo mal. non in congrue quæritur, utrum
pro-

propter dolum proxenetæ, qui emtionicau-
sam dedit, illa etiam fiat ipso jure nulla?
quod recte negatur. Cum enim contra-
ctus per proxenetas non perficiantur: [Ho-
rum enim officium non in concludendo,
sed tractando consistere supra monuimus]
ita nec per eosdem possunt dissolvi, sed illud
à contrahentibus fieri debet *arg. l. 35. ff. de*
R. f. accedit, quod iniquissimum sit, dolum
aliis nocere l. 26. S. ff. de noxal. act. Adversus
proxenetas tamen hoc casu actionem doli ad
consequendum id, quod inter est, compe-
tere, non est dubitandum. Illam quoq;
qui ultra dimidium justi pretii læsus est, vel
rescissa venditione rem restituere, vel reti-
nere, & suppletionem ejus, quod de est, ex-
igere posse, satis superq; constat *ex l. 2. C. de*
Rescind. emt. vend. Quid autem si proxe-
netæ non fuerint solvendo? tunc ad extra or-
dinarium restitutionis remedium ex clausula
edicti Prætoris generali, *siqua alia justa mihi*
videbitur esse causa in l. 1. S. f. ff. ex quibus
caus. maj. recurrentum esse existimamus.

Quoad venditionem rerum fungibili-
um, quæ constant, pondere, numero, &
mensura, quæq; plerumq; per specimina si-
ve exemplaria, durch Proben und Muster
solent demonstrari, illud in primis proxene-
tæ debent observare, ut illa non tantum fi-
deliter exhibeant, sed & perfecta jam tum
emtione asservent, donec istæ res fuerunt
ad pensæ ad mensæ, & ad numeratæ, idq;
propterea, ne sc. fraus ante traditionem ad-
hibeat, aut aliud venditum, aliud verò
traditum quis suspicetur. Quod si ergo ejus-
modi res speciminibus aut schematibus à
proxenetis prolati convenient, tunc emto-
res tenentur stare contractibus, nisi intrin-
secum aliquod vitium adsit, quod in exem-
plaribus vel planè non, vel difficulter potuit
cognosci, quod ita ordinatum testatur Mev.
in fur. Lubec. Lib. 3. tit. art. 15. verbis:
Können aber die Gebrechen mit Menschlichen
Sinnen nicht begriffen und gleichwohl her-
nach-

nachmahlſ die Waaren unſichtig befunden
worden/ſoll man die Bezahlung dafür zuthun
nicht ſchuldig ſeyn.

§. II.

Hæc de officio proxenetarum quo ad
contractum emtionis venditionis dicta ſuffi-
cient. In reliquis quoq; contractibus con-
ſensualibus , maximè verò Locatione con-
ductione , ministerium proxenetarum ac-
commodari poſſe, quotidie edoceſſur, nec
in explicando eorum ſpeciali officio erimus
prolixiores, cum illud ex iis, quæ jam ſupra
dicta ſunt , ſatis clarum ſit. Illud faltem
quo ad hōſce contractus adhuc monendum,
quod ſolutio pretii & mercedis proxenetis
fieri nequeat & ſi facta fuerit, emtor non li-
beretur, propter evidentem Juris Civilis ra-
tionem, quod ſine voluntate & mandato
creditoris nemini niſi Domino ſolutio fieri
poſſit. v. l. 12. C. de ſolut. Marq. Tr. de f. Mer-
cat. L. 2. c. 14. n. 41. Rutger. Ruland. Reſp.
ſing. de Aſſecur. p. ram. non ſolut. n. 292.

C

§. 12.

§. 12.

Non inutilem quoq; proxenetarum
operam statuimus in contractibus innomi-
natis, itemq; usurariis. Et quamvis id quo-
ad posteriores quam plurimi D. D. negent,
ex ratione, quod cum usuræ tam J. Divino,
quam humano prohibitæ sint; ideo etiam
consequens esse, quod non tantum usur-
arii ipsi, sed etiam ii, quorum opera & mini-
sterio in contractu fæneratatio usi sunt, pu-
niri debeat; Attamen hoc argumentum
huc planè non quadrare dicere possumus ob
falsam hypothesin, quasi usuræ simpliciter
& ab solutè Jure Divino & humano dama-
tæ sint; Nos enim, eas admitti posse firmiter
sumus persvasi, sub certis tamen conditio-
nibus & circumstantiis, quarum prima de-
sumi potest à persona creditoris & debitoris.
Dives enim pauperi non sub usuris, sed gra-
tis mutare debet ex ratione, quia pauper
pecuniam petit, non ut lucrum inde capiat,
sed ut necessitati suæ consulat, quapropter
ex lege charitatis ei succurrendum, ne pereat.

Diversa

Diversa verò est ratio divitum invicem: In talibus enim usuræ sunt licitæ , cessante ratione charitatis & necessitatis , alioquin gratia sublevandæ , siquidem justum est, hos invicem aliquid rependere pro abfutura aliquandoi creditoris utilitate qui suo cum damnno alteri commodare nō tenetur. Secunda conditio consistere debet in justa quantitate, ne quis modum usurarum legitimum exceedat , sed medium teneat inter lucrum & damnum, ceu benè ordinatum in Ord. Pol. de A. 1600. §. So viel nun. Tertia conditio tandem est in modo fænerandi, quod quis non ita debeat pecuniam dare sub usuris ut exinde fiat improbus fænerator , & petat usuras usurarum. l. 20. C. ex quib. caus. infam. irrog. Ex quibus ad argumenta contraria facile erit respondere.

§. 13.

Tandem in cambiis proxenatarum operam quam maximè lucrosam & frequentem esse, supra in præfat. ex parte indicavimus.

C 2

Qua-

Quapropter in illorum speciale officium hic
sollicitè inquirere, operæ pretium non judi-
camus. Illud saltem adhuc addendum,
quod quoties aliis pecuniam cambio quæ-
runt & petunt, in fieri debeat absq; nomi-
natione petentium. Mercatores enim, cum
cambia celebrant, sunt valde solliciti, ne alii
quis resuscitat, se pecuniis egere, eò quia
ipsis maximi esset detrimenti ex pluribus, sed
principiè eo, quod carius eas compararent;
alias siquidem & multum interest, ne secre-
ta patrimonii pandantur eleganter *Imp. in l.*
z. C. de aliment. pupill. præstand. Quam pri-
mum autem prævio tractatu aliquem con-
tractum cambii stabilierunt, possunt cura-
re, ut contrahentes, si fieri possit, insimul
alloquantur, & de stabilito contractu con-
veniant, uti plerumq; fit, & facile fieri po-
test in platea bancorum, in qua quotidie
conveniunt mercatores. Quodsi quandoq;
id omittant, parum refert: nam perfectio-
nem illam, quam non recipit contractus
ex colloquio, consequitur ex executione
conventorum, mediante solutione pretii

ex

ex parte acquirentis, & datione litterarum
cambii, ex parte distrahentis id quod tutò
sit, non obstante mora : Quandoquidem
ex præscripto notulæ, per proxenetam fa-
ctæ coguntur contrahentes etiam inviti o-
mnia ad implere mandato Magistratus.

§. 14.

Vidimus hucusq; quomodo & in qui-
bus negotiis officium proxenetarum consti-
tui possit ; restat, ut nunc paucis etiam di-
spiciamus , quomodo finitur. Finitur au-
tem [1.] Morte , cum proxenetarum, tum
partium, ratio est, quod voluntas hominis
morte finiatur, cum homo mortuus velle
definat l.4. ff. Locati. (2.) Negotio, in
quo ministerium adhibuerunt, finito arg.
§. 6.J. de societat. [3.] Contrario consen-
sus tam ipsorum contrahentium, quam ipso-
rum proxenetarum, qui in specie dicitur
revocatio. Cum enim nihil tam naturale
sit, quam quo quid genere colligatum est;
eod. quoq; dissolvi; nudi consensus obli-
gatio-

gationem contrario consensu quoq; dissolvi dicendum est. v. l. 35. & l. 153. ff. de R. f. c. i. X. eod. §. fin. J. quibus mod. toll. §. n. J. Mandat. Requiritur autem, ut hæc renunciatio fiat, re adhuc integra, quod si jam aliquid factum fuerit adeoq; res integra esse desierit, non aliter dissolvi poterit, quam si id, quod intervenit & effecit ne res amplius sit integra, vicissim in contrarium agatur. l. 58. ff. de pact. Denique (4.) negotio adhuc pendente finitur, si proxenetæ dololè contra officium egerint, quo casu eos removeri posse, jam supra evicimus. Et hæc de elegantissima & utilissima materia, pro ingenii tenuitate, & institui ratione dicta sufficiantur. DEO TER OPTIMO MAXIMO sit Laus & Gloria
semper!

F I N I S.

CO.

COROLLARIA.

I.

Pupillus sine auctoritate Tutoris contra-
hens naturaliter obligatur.

II.

Literarum obligatio est peculiaris &
proprius contractus.

III.

Judeus non potest esse tutor pupilli Chri-
stiani.

IV.

Res immobiles deponi non possunt.

V.

Periculum rei vendita & nondum tra-
dita, pertinet ad Emptorem.

Quæst. I.

AN Transactio ob enormissimam læsionem rescindi queat? acerrime inter DD. Disputatur, ultra sexcentos invenies Legistas, Canonistas, Consulentes, Practicos famigerat: pro negativa militantes, quos inter est Consultissim. Dn. Mevius *Part. 2. Decis. 245. n. 8. & 9.* ubi juxta hanc communem J^ctorum Sententiam in Tribunal Regio VVismariensi judicatum refert, & *Part. V. Decis. 283. n. 12.* statuit transactio-nes ex causa enormissimæ etiam Læsionis non rescindi, communiores, rectiores, & in praxi receptionem esse; in contrariam quoq; partem inclinant fermè innumerii DD. haud infimi subsellij, ita, ut ipsemet *Mev. Part. VIII. Decis. 494. n. 4.* illam amplexus statuat, quamvis omnis exceptio Læsionis per legem, pactum, vel alio modo exclusa esset, enormissimæ tamen allegationem & ob eam remedia non haberi remota, ac porro *Consil. IV. n. 134.* confir-
met, quod interpretes communiter tradant,
enor-

enormiter læsum audiendum esse, etiam si renunciasset generaliter omni Juris & Legum auxilio. Theoricae veritati quoad Mojorennes convenientior est negativa, affirmativa, etiam defendenda suscipietur.

Quæst. II.

An annuis præstationibus & Censibus 30. vel 40. annorum lapsu præscribatur? ardua & subtilis admodum est Disputatio, & mirificè DD. variant; multi affirmativæ ad stipulantur, sententiæ, quos inter recensetur Dn. Struv. in *Syntagma Jurisprud. Exercitata*. 43. th. 16. cum allegat. communiter vero per tradita Gvid. pap. *Decis.* 406. 407. & 408. it. Dn. Rennem. in *Jurisprud. Rom. German. de Jur. Rer. Disput.* 49. th. IX. & XIV. negativæ adhaerent, ita ut distinctio- nis foedere, controversiam sospire, deq; præteritis præscriptionem, in futuris vero præstationibus illam rejicere conentur; sed utramq; tam theoreticè, quam practicè de- fendere placet,

D

Quæst.


Quast. III.

An facultati offerendi sive reluendi 30.
 vel 40. annorum intervallo præscribi possit?
 difficilis valde agitur Controversia , per-
 multi insistunt affirmativæ , etiamsi expres-
 sè Juramento confirmatum sit pactum ,
 quod Debitor quandocunq; & in perpetu-
 um non obstante aliqua temporis præscri-
 ptione redimere & offerre pecuniam possit ,
 ita ut hæcce communis reputari velit , vid.
 Dn. Boër. *Decis. 182. de retrovend. n. I. usq; 7.*
 cum multis DD. plurimi vero negativam fo-
 vent sententiam , & illam tanquam magis
 communem , veriorem , æquiorem , ac
 melioribus rationibus fulcitam esse autu-
 mant , vid. Gail. lib. 2. *Obs. 18.* & Mynsing.
Cent. i. Observ. 16. cum allegat. imò imme-
morabile requiri tempus volunt , vid. Dn.
Rennem. in Jurisprud. Rom. Germ. de Jur.
rer. Disp. 49. th. 14. Nos Theoræ juris ci-
 vilis prærogativam assignamus , & præser-
 tim post denegatam relutionem vel cessan-
 tem usurariam præstationem præscriptioni
 30. vel

30. vel 40. ann. locum relinquimus, contraria-
riam etiam sententiam disputando ample-
ctimur.

Questio IV.

An Uxor omnibus Mariti Creditoribus
sive tacitam vel expressam hypothecam ha-
bentibus præferatur? gravis & spinosa ha-
betur dissertatio, ita ut multi Excellentiss.
DD. in hacce sententia decidenda fluctuent.
Mynsing. quippe Cent. 4. Obs. 13. affirmati-
vam in Camera Imperiali receptam allegato
Præjudicio inter Episcopum Salzburgensem
& Oertnerum confirmat, in præcedenti ve-
rò Observat. 3. Cent. eam Sententiam non
carere pugnā statuit. Gail. quoq; libr. 2. Ob-
serv. 25. n. II. in expressa hypothecæ Consti-
tutione negativam laudat communem &
verissimam, ac ab hac in Judiciis non esse re-
cedendum, nec in Camera suo tempore un-
quam recessum fuisse allegat; nobis uxori
contra mariti Creditores regulariter Jus præ-
lationis concessum juxta theoriam defendere
ubet, contrariam insuper discutiendam
admittimus.



99 A 6922

VD 17

SB

ULB Halle
002 628 589

3





2

DISSE^TRAT^O INAUGURALIS
JURIDICA
De
**PROXENETIS
MERCATORUM,**
Quam
Favente Divini Numinis Clementia,
Authoritate & Decreto,
Incliti JCtorum Ordinis in Perantiqua
Electorali Gerana
SUB PRÆSIDEO
Viri Prænobilis & Consultissimi
**DN. JOANNIS MAT-
THIÆ WINCOP,**
Phil. & J. U. D. P. P. Ord. Praefecturæ Electoral. Mo-
gunt. Consulentris & p. t. Facultatis Juridicæ ut
& Collegii Portæ Cœli DECANI
PRO LICENTIA
Summos in utroq. Jure Honores & Privilegia
Doctoralia rite consequendi
publicæ disquisitioni submittit
JOANNES VALENTINUS
LEISNERIUS, Noricus,
In Auditorio JCtorum 12. Junij 1703. horis pomerid. confvetis.
Erfordia, Literis Kindlebianis.